Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25973
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Itaque aliquid de se scit quod non tota non potest. totam se scit. scit autem se aliquid scientem. nec potest quicquam scire non tota. scit se igitur totam. De propriis mentis que non potest ignorare.

.IIII. D[redacted] Non potest autem mens esse et non uiuere. quando habet etiam amplius ut intellegat. Nam et anime bestiarum uiuunt sed non intellegunt. Sicut ergo mens tota mens est. sic tota uiuit. Nouit autem uiuere se. totam se igitur nouit. Postremo cum se nosse mens querit. mentem se esse iam nouit. alioquin utrum se querat ignorat. et aliud pro alio forsitan querat. Fieri enim potest ut ipsa non sit mens. atque ita dum mentem nosse querit non se ipsam querat. Quapropter quoniam cum querit mens quid sit mens. nouit quod se querat. profecto nouit quod ipsa sit mens. Porro si hoc in se nouit quod mens est et tota mens est. totam se nouit. Sed ecce non se nouerit esse mentem. cum autem se querit hoc tantummodo nouerit quod se querit. Potest enim etiam sic aliud pro alio querere si hoc nescit. Ut autem non querat aliud pro alio. procul dubio nouit quid querat. At si nouit quid querat et se ipsam querit. se ipsam utique nouit. Quid ergo adhuc querit? Quod si ex parte se nouit ex parte autem adhuc querit. non se ipsam sed partem suam querit. Cum enim ea ipsa dicitur. tota dicitur. Deinde quia nouit nondum se a se inuentam totam. nouit quanta sit tota. atque ita querit quod deest. quemadmodum solemus querere ut ueniat in mentem quod excidit. nec tamen penitus excidit quia potest recognosci cum uenerit hoc esse quod querebatur. Sed quomodo mens ueniat in mentem quasi possit mens in mente non esse? Huc accedit quia si parte inuenta non se totam querit. tamen tota se querit. Tota ergo sibi presto est. et quid adhuc queratur non est. Hoc enim deest quod queritur. non illa que querit. Cum itaque tota se querit nichil eius deest. aut si non tota se querit sed pars que inuenta est querit partem que nondum inuenta est. non se ergo mens querit cuius se nulla pars querit. Pars enim que inuenta est non se querit. pars autem que nondum inuenta est nec ipsa se querit. quoniam ab ea que iam inuenta est parte queritur. Quocirca quia nec tota se querit mens nec pars eius ulla se querit. se mens omnino non querit. In quo mens nosse se debeat et a quibus abstinere